



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XLVI. Si cuius vxor constuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam
machinauerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

XLV.

Simili modo secundum sanctos Canones diffinimus & iudicamus de eo, qui cum duabus fororibus fuerit pollutus, ut usque in exitum vitæ poenitens & continens permaneat. Soror autem, quæ posterior libidinis perforata aculeis, scienter se cum eodem commaculauerit, usque in finem vitæ poenitens & continens perduret. Si autem improiuse contingit, condigna stringatur castigatione: & si velit, legitima vtatur viri coniunctione.

XLVI.

Si cuius vxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illam machinauerit: ipsa vero, urgente mortis periculo, ad episcopum confugerit, & auxilium quæsierit, operosiori, si potest, episcopus labore defudet, ne occidatur. Si vero non potest, nullo modo liceat ei, requirenti eam reddere viro ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum: sed solerti cura transmittet eam ad locum, quem ipsa delegerit, ut secura viuere possit. Si vero interdum maritus eam inuenerit & repetierit, secundum sæculum potestatem * habuerit, quid agere ei velit. Sed audiat S. Augustinum dicentem: Cum enim vir a virtute nomen accipiat, & mulier a mollitia, id est, fragilitate: quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult vnusquisque vxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? Nam quidquid contra fidem catholicam mulieribus non licet, nec viris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, a loco vbi eam episcopus destinauit, au-

ANNO
CHRISTI
895.

*haberi.

ANNO
 CHRISTI
 895.

fugerit, & vir eius ab episcopo semel aut bis vel sæpius repetierit, si vitam ei obtinere possit, perquirat, & reddat: sin autem, omnino non reddat. Maritus vero, quamdiu ipsa viuat, nullo modo alteram ducat.

XLVII.

Qui spiritalem habet compatrem, cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, & eius vxor comater non est, liceat ei, defuncto compatre suo, eius viduam ducere in vxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non possunt coniungi, quos nulla proximitas carnalis, vel * in id generatio secernit spiritalis?

* nulla

XLVIII.

Illud etiam nec canonica institutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus: sed propter eos qui diuersè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritalis comatris filiam fortuito, & ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiori seruato, habeat, atque honeste legitimo coniugio operam det.

XLIX.

De his qui in adulterio iuncti, per incentiua libidinis male filium vel filiam genuerunt, canonicè præiudicamus: vt quando ab episcopo iusta diuisione separantur, eo tenore seiungantur, ne vltra spe reuersionis deludantur. Quare, si quid inter se proprietatis aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, * vt quæ communi seruent infanti. De

* vtique